



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XI. Non excludi à puro, perfectóque unius Dei amore complurium quoque aliarum rerum amores: dummodo hæ non merè propter se ipsas, sed propter Deum potiùs amentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

naturalis cognatio, qua Christianæ virtutes universæ cum charitate, communi omnium Regina, tanquam illius effectus, vel instrumenta nectuntur: quàmque promptum unicuique sit illas omnes, sui huiusce universalis principii, atque finis respectu exercere: totam ità honestorum quorumlibet suorum actuum varietatem ad perfectum amorem DEI referendo, nempe ad unum illud necessarium, quò totus nostri huius operis labor refertur.

## CAPUT XI.

Non excludi à puro, perfectoque unius DEI amore complurium quoque aliarum rerum amorem: dummodo hæ non merè propter se ipsas, sed propter DEUM potius amentur.

**N**ollem tamen minùs prudens quispian Lector, ex capitis præcedentis doctrina errorum occasionem fumeret: sive colligens, quò perfectè DEUM amet, omnem sui ipsius, & creatarum rerum amorem sibi esse ab-

di-



dicandum, seu me condemnans, perinde quasi ad exactam divini amoris puritatem necessariò id requiri contendam. Quamvis ergo nullum amorem, qui divinus non sit, posse existere in anima, quæ perfectè DEUM amet, docuerim; addo tamen, posse ab hac, imò, ùt infrà explicabo, etiam debere complura alia objecta simul cum DEO amari; neque ulla hic apparet contradictionis species, si diversa observetur ratio, qua DEUM, quaque res creatas amari æquum est: DEUM scilicet sui unius gratiâ, & quasi finem amoris; res verò creatas, respectu DEI, earum ultimi finis. Hoc enim discrimine constituto, níl dubii relinquitur, quin possimus, & nihil præter DEUM amare, absoluto illo amore, & solius finis ultimi proprio, de quo in antecedenti capite egimus; & alia tamen permulta simul cum eo amare, amore hoc secundo, & alterius gratiâ, de quo in præsentibus verba facere aggredimur.

2. Probatur itaque, amorem rerum creatarum propter DEUM à DEI amore diversum non esse. Eodem quippe actu, quo illæ DEI causâ amantur, DEUS quoque amatur, & nihilo quidem minùs, quàm si solus



lus tunc amaretur : cùm ab ipso , 'quasi à fonte suo profluat , & ad ipsum , tanquam ad finem suum referatur ille amor. Quare, quì ità creatas res amat, dici meritò potest non tam ipsas, quàm DEUM in ipsis amare : quemadmodum æger sanitatis causâ pharmacum amans, dici potest non tam pharmacum ipsum, quàm in eo sanitatem amare. Teste enim D. Bernardo, (*De Dilig. Deo.*) *Quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit.* Idque ipsum in aliis quoque exemplis videre fas est : ut in cultu sacrarum imaginum, qui, juxta D. Thomam, quoniam *non exhibetur ipsis, secundùm quod in se ipsis considerantur, quasi res quædam, sed secundùm quod sunt imagines, non in ipsis consistit, sed in id, cujus sunt imagines, tendit.* (2. 2. qu. 81. a. 3. ad 3.) Aut veluti in homine, Româ Neapolim proficiscente : qui, licèt primam noctem Velitris traducere in animo habeat, percontantibus tamen, quò eat, non Velitras, sed Neapolim se ire respondet : utpote qui primam illam urbem nequaquam pro itineris termino, sed pro mero trajectu ad terminum habet. Neque solùm fieri nequit, quin DEUS diligatur, quoties hæc, aut illa creatura ipsius ergo diligitur ; verùm etiam sepe-  
me.



mero evenit, ut idem ad aliquid extra se diligendum nos movens, diligatur vehementius, quàm si solus in se ipso diligeretur. Nam cum in compluribus creatis objectis qualitates reperiantur admodum voluntati exosæ, magnaque vi illam à se repellentes, ut ex nihilominus propter DEUM diligantur, validiori profectò DEI amore opus est, quàm quo ipsum plerumque in sola sua essentia diligimus, ubi nempe nulla odii incitamenta, sed mera, & summa amabilitas intuemdam se objicit. Quapropter, veluti unusquisque magis cordi se habere valetudinem probat, cum redintegrandæ illius studio durissima quæque remediorum subire eligit, quàm cum ea incolumi otiosè delectatur; sic etiam illustrius sui erga DEUM amoris specimen præbet, quando in ejus gratiam capitalissimum hostem, seu aliud quid maximè invisum simul cum eo diligit; quàm cum in eo uno amando tranquillus se continet.

3. Sed clariùs etiam patebit, rerum creatarum amorem, cum ex divino oritur, hujus puritati, & perfectioni minime obesse; si animadvertatur, quàm nihil hic loci habeant quatuor illæ rationes, quibus paulò ante DEUM unum esse homini amandum ostend-



stendimus. Nihil sanè prima habet, sumpta ex eo jure, quod DEO, tanquam ultimo nostro fini convenit, nè ullus nostræ voluntatis motus aliò, quàm ad ipsum tendat. Nam si juxta regulam à D. Augustino traditam, (*Tr. 10. in Ep. Joa.*) *Quidquid propter aliud queritur, non est ibi finis: quidquid propter se queritur, ibi est finis;* qui objecta creata propter DEUM amat, nullo pacto dici potest in illis, tanquam in suo fine subsistere; sed ad DEUM, quasi ad ultimum tam sui, quàm actuum suorum finem se, & suum amorem dirigere. Nihil itèm loci habet secunda ex DEI offensis petita, ad quas rerum creatarum amor incitare nos solet: cùm planissimè appareat, ubi quid alterius gratiâ diligitur, eodem actu illud quoque alterum, imò plùs etiam, præcipuéque illud alterum diligi: nec proinde fieri magis posse, ut quisquam ab amore alicujus rei propter alium finem dilectæ impellatur ad operandum contra illum finem, quàm à puro ipsiusmet illius finis amore ad id possit impelli. Quamobrem, ceu impossibile omnino est, ut ipsius DEI amor incitamentum cuiquam sit DEUM offendendi; sic non minùs impossibile id existimari debet de amore cujusque alterius ob-

je-



jecti, quod vel purè, vel præcipuè propter DEUM diligatur. Neque secùs de tertia itidem ratione dicendum, de impedimentis nimirum, quæ alii amores homini afferunt, nè DEUM toto se amet. Si enim unus sæpe amor alteri obstat, tunc solummodo id evenit, cùm contraria sibi invicem sunt eorum objecta, non verò etiam, cùm affinia, & mutuo sibi nexu juncta, qualis est nexus, quo finis, & media inter se copulantur. Ubi enim fecundi hujus generis sunt, pro uno haberi potius, quàm pro pluribus queunt, juxta illud Philosophi effatum: (*Apud S. Th. 1. 2. qu. 17. a. 1.*) *Ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum*: neque tunc motus erga unum impedimento est motui alterum versùs: pro- tit S. Thomas docet, probans indè Angelos, quantamcunque nobis curam impendant, nihil idcirco à perpetua DEI contemplatione avocari. (*1. p. qu. 112. a. 1. ad 3.*) *Quia duarum actionum, quarum una est ratio, & regula alterius, una non impedit alteram.* Postremò neque vilitas, & coinquinatio animæ, quod quartò objicitur, locum hìc habet. Cùm rerum creatarum amor, quando illius causa, & finis DEUS est, nihilo minùs integer, præclaræque indolis sit, quàm si DEUM unum

S

pro



pro objecto haberet : utpote qui haudquamquam in creatis objectis subsistit, sed ea secum refert ad DEUM, nec ab iis contaminatur, deprimiturve; verum ea ipse purificat potius, & sublevat. Angeli certè, ac reliqui Cælites ità DEUM sui unius causâ amant, ut propter eum se ipsos quoque, & quidquid est in terris hominum, diligant. Neque illi tantum, sed & ipsemet DEUS, ceu in libro Sapientiæ proditum habemus, (c. 11.) *Diligit omnia, quæ sunt.* Et tamen quis amorem illum dixerit, quia simul cum DEO tot creata objecta complectitur, minùs purum, minùs perfectum, minùs unum, divinumque esse, quàm si DEUM unum respiceret? Denique nimium quàm diversa rerum creaturarum conditio est, si in se ipsis, & si spectentur in DEO. In se ipsis sunt, quales ex natura sua esse possunt, intrà certam aliquam speciem contractæ, finitæ, imperfectæ, aliæ aliis minores, majorésque. In Deo nihil aliud sunt, quàm quod ipsemet DEUS: ens videlicet simplicissimum, nullo inquinatum defectu, omni ex parte infinitum. *Quod factum est, in ipso vita erat,* scribit D. Joannes: & quidquid præterea est divinarum perfectionum, licet subtexere, *æternitas erat, omnipoten-*



entia erat, immensitas erat, Divinitas erat, quod est, erat. Qui eas solum in se ipsis, & ipsarum duntaxat respectu amat, amat, prout aliquid diversum, distinctumque à DEO, & propterea amore infra divinum. Qui eas amat in DEO, & propter DEUM, amat eas, prout unum cum DEO objectum constituent, ideoque non minus excellenter, quam si DEUM solummodo amaret.

4. Locus jam est designandi aliquot regulas circa modum amandi propter DEUM creata objecta, quæ amari respectu illius possunt. Nam primò fieri id potest, ut scholasticorum verbis utar, vel interpretativè, materialiter, & implicitè; vel propriè, formaliter, & explicitè. Amatur interpretativè aliquid propter DEUM, cum amatur ex ratione quapiam honesta, & ad DEUM tanquam honestatis totius fontem spectante, quamvis interim neque DEUS, neque amata rei cum eo connexio expressè attendatur; ut exempli gratiâ: cum quis animo reputans cupiditatum coërcitionem spirituali suo profectui multum conducere, hac de causa ad eam amandam, volendamque impellitur. qui, licet de convenientia honesti illius actûs cum DEO nihil tunc formaliter cogitet, potest



test tamen Aici, ut observat Suarius, (*In 1. p. Tr. 1. Disp. 2. c. 4. n. 5.*) aliquo eum modo, saltè interpretativo, & implicito, propter DEUM velle, & amare: quatenus nempe illum amat, & vult propter honestatem in eo animadversam, quæ DEO grata secundum naturam suam est. Formalis verò, & expressus creatæ cujuscumque rei propter DEUM amor est, cum animadvertentes aliquid DEO placere, & ad ipsius obsequium conferre, hæc de causa ad illud amandum inducimur. Ex his duobus diligendi propter DEUM, quæ extra ipsum sunt, modis, nemo non videt primum longè inferiorem secundo esse, vixque posse verum DEI amorem vocari, neque propria illius continere emolumenta, atque decorata: nisi quatenus sufficit, ut noster actus aliqua ratione ad suum ultimum finem, hoc est, ad DEUM tendat, ac propterea sit meriti capax; qualis minimè esset, si res amata nullam ex natura sua haberet connexionem cum DEO. Prima igitur regula esto, ut in creatis rebus propter DEUM diligendis non factis habeamus, interpretativè duntaxat, & citra-expressam DEI cognitionem id facere; sed *æmulando charismata meliora*, ad diligendum quidquid diligimus, à formali, & expres-



fo DEI amore, nimirum à flagranti quadam, & penitèns animo infixæ gratificandi ipsi cura impellamur.

5. Præterea, cùm nihil amari formaliter propter DEUM possit, quin DEUS quoque unà ametur; animadvertendum est, alterutro ex duobus hisce modis id fieri posse: Primò ita, ut distinctior, & magis explicitus objecti creati, quàm DEI amor sit: veluti exempli gratiâ, cùm dicitur: ego hanc rem volo, quia gratam DEO esse novi. Altero, ut non minùs distinctè, atque explicitè DEUS, quàm creata res diligatur: veluti cùm quis dicit: quia DEUM super omnia propter infinitam bonitatem suam amo, nihilque magis, quàm gratificari illi cupio; volo, & amo hoc objectum, quod placere illi scio. Qui modus posterior primo haud dubiè antecellit, tum quia quodvis objectum, quantò expressiùs, tantò etiam vehementiùs diligitur; tum quia ille DEI amor magis absolutus, & universalis, quem hic concipimus, voluntatem nostram, dum unum quid propter eum vult, ad alia itèr omnia, quæ ipsi placent, similiter volenda, habilem reddit. Quapropter altera hæc regula esto: ut non modò, quidquid rerum creatarum diligimus,



formaliter propter DEUM diligamus; sed curemus præterea DEUM simul cum ipsis, imò & ante ipsas amore illo expresso, ac finis proprio, hoc est absoluto, & universali diligere.

6, Notandum est insuper, tamdiu aliquid propter Deum formaliter diligi, quamdiu DEI amor, quo ad illud volendum impulsus semel sumus, pergit nos eodem seu per se ipsum, seu per aliquem suum effectum impellere. Impellit per se ipsum, quando voluntas præsentem eum retinet, nec deficere in se finit; sed qualem olim concepit, talem usque iterat: ut si aliquis exempli gratiâ Dei amore incitatus, ad serviendum per duas, tresve horas ægrotis, toto illo tempore pergat novis ejusdem amoris actibus susceptum DEI gratiâ ministerium diligere, seque ad illud alacriter obeundum stimulare. Per suum verò quempiam effectum impellit, quando, licet ipse non supersit in anima, superest ibi tamen nonnulla illius præteriti species, & pia quædam propensio erga objectum DEO gratum, ad quod volendum præfens ipse incitabat; qua proinde sua vi etiamnum quamvis absens, pergit voluntatem movere: ceu si quispiam statuisset, in DEI gratiam eisdem  
ægro-



agrotantium ministeriis continuas plures  
 horas impendere, sed mox operi incumbens  
 prædictum suum gratificandi DEO studium  
 nullo expresso actu instauraret: qui nisi mu-  
 tata interim voluntate, diversum alium præ-  
 figeret suo operi finem; pergeret à pristino  
 illo, si minùs per se ipsum, ut initio, at sal-  
 tèm per superstitem aliquam sui speciem, &  
 virtutem ad operandum moveri. Unde ter-  
 tia porrò ducitur regula: nempe ut juxta pri-  
 mum ex prædictis duobus modis curemus,  
 illum DEI amorem, à quo incitati ad volen-  
 dum aliquid sumus, quamdiu hoc pergimus  
 velle, tamdiu expressum in anima retinere,  
 ab eoque non per aliquid, quod sui locò re-  
 liquerit, sed per se ipsum præsentem, ut cum  
 maximè & vigentem continenter impelli.  
 Momenti sanè maximi regula, tum alijs, tum  
 hisce duabus de causis: primò, quia illa spe-  
 cies, & virtus ab amore divino relicta tempo-  
 ris progressu magis sensim, magisque clan-  
 guescit: ut propterea remissiores etiam sint  
 actus, quibus ab ipsa impulsì, DEUM in re-  
 bus creatis diligimus: secundò, quia, nisi  
 prima DEO gratificandi voluntas semper vi-  
 vida, & actu præsens, quamdiu aliquid crea-  
 tum diligimus, perseveret; facilè usuvenit,



ut diverſi, & profani generis alia ei furtim ſuccedat, vel ſaltèm cum ea miſceatur, noſtrorùmque actuum ſanctitatem corrumpat.

7. Non me fugit, dicturum hìc quempiam, regulas, quas propoſui, præterquam quòd ad ſupernaturalem actuum noſtrorum bonitatem, valorèmque neceſſariæ non ſint, nimium etiam graves humanæ imbecillitati eſſe, imò neque poſſe omnino ſervari. Si enim volunas noſtra, quemadmodum rebus aliis volendis aſſiduè occupatur; ità quidquid vult, & quamdiu vult, non niſi ex amore divino, illòque expreſſo, ac formali vellet, nunquam proſectò à continua hujus exercitatione ceſſaret. Quod, quis non videt, longè ſupra vires eſſe noſtri ſtatùs præſentis? Sed, quantum ad neceſſitatem reſpondeo, nequaquam me hìc agere de neceſſariis ad qualecunque agendi decus, & pretium: verùm de iis, unde actus noſtri ad ſummam, cujus capaces ſunt, perfectionem, ac meritorum fecunditatem proficiant: cujuſmodi procul dubio omnium confeſſione eſt, nihil velle, atque agere, niſi ex formali amoris divini in anima exiſtentis impulſu. Quod porrò ad difficultatem ſpectat, eſto aliqua, nec fanè mediocris hìc occurreret, nunquam proſe-

ctò



Etò erit major, quàm quæ in omnimoda rerum humanarum abdicatione, in continuo cum quibuslibet naturæ appetitibus bello, inque tot aliis reperitur, à DEI Filio promulgatis perfectionis Evangelicæ regulis: quæ, quantumvis arduæ, molestæque humano sensui accidant, magis nihilominus veros DEI famulos supernaturali suo fructu alliciunt, quàm nativa asperitate deterrent. Nego tamen in proposito hoc à nobis studio, diligendi explicitè propter DEUM, quidquid rerû aliarum diligitur, multum reperiri difficultatis, laborisque posse, saltèm ab iis, quorum præcipua, & continens cura est, in perfectione charitatis divinæ ulteriùs semper, atque ulteriùs proficere, quales sunt, quos hìc liber speciatim alloquitur. Cùm ejusmodi animæ tantùm absint ab eo gravi experiendo, ut illud veriùs pro allevamento, & solamine habeant in asperrimis quibuslibet spiritualis vitæ exercitiis. Quòd si naturalis nostræ mentis volubilitas, tótque, & tam variæ rerum humanarum turbæ continuam hanc amoris divini praxim nobis impossibilem reddunt; non ideo etiam efficiunt, quin possimus utiliter ad illius perfectionem, quantum licet, conniti: quemadmodum ex eo, quod impos-



sibile homini est leviores omnes culpas in terris vitare, non sequitur, quin voluntas nullam earum consciscendi perquam utilis sit. Nam veluti hæc vim habet præstandi, ut culpæ illæ, quamvis non omnes vitentur, tamen pauciores admittantur; sic contentio, atque cura, ut, quidquid volumus, & quamdiu volumus, ex præfenti, atque expresso DEI amore velimus; plurimum eò confert, ut si minùs omnes voluntatis nostræ actus, saltèm plerique ad divinam charitatem pertineant. Ubi nullus est lucris, nullus quoque esse debet acquirendi conatibus terminus: & ubi nunquam cessare, continenter progredi in bono est, à ratione abhorret, in modico acquiescere, quia consequi totum desperes.

8. Duo sunt postremò, de quibus commonendos habeo Lectores. Primuna, sæpe contingere, ut hæc, aut illa objecta terrena videamur nobis propter DEUM tantummodo amare: cùm revera ad eorum amorem minimè ab ipso, vel saltèm non ab uno ipso impellamur: nisi enim anima à pravis affectionibus perpurgata admodum sit, solet plerumque cum cælesti illo impulsu deterior alius quispiam, lucri putà, aut honoris misceri,



ri, imò etiam interdum ei prævalere, & unus esse in anima volendi, agendique finis: quamvis conciliandæ sibi authoritatis gratiâ divini amoris speciem præferat. Non aliter quàm in remediorum dulcium, & sensui arridentium usu, qualia præcipuè sunt, quæ quotidianis, & communibus naturæ morbis medentur, nempe cibus, potus, & quies, ad necessitatis stimulos delectationis quoque instinctus consuevit accedere: imò etiam non rarò, juxta D. Augustini observationem, eos ubi desunt, ad honestum quoddam libidinis suæ velamentum fingere: (L. 10. Conf. c. 31.) *Ut obrentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Quare ut naturalis erga res voluptuosas propensio non modò ad ejusmodi medicinas, cum revera necessariæ sunt, adhibendas pro virili sua parte nos movet; ità etiam sæpe, vel quando à natura minimè exiguntur, eas nobis quasi necessarias repræsentat; sic innata nostro appetitui erga præsentis vitæ bona proclivitas non modò, cum ab amore divino ad ea volenda incitatur, supernaturalibus illius incitamentis sua furtim adjungit; sed multoties divino insuper amori consentaneam eorum voluntatem esse nobis persuadet, etsi talis verè non sit, imò ipsi potius repugnet.



gnet. Et voluntas blandis huiusmodi fraudibus sponte connivet, perlibenter credens, ad ea amanda, & volenda non genii sui propensione, sed divino se instinctu moveri. Neque contra id genus corruptelas sat prodest, sanctissimum, & purè divinum initio amorem fuisse. Fieri siquidem potest, ut pergens ille voluntatem afficere instar aquæ in fonte suo limpida, sed quæ in decursu limum colligens, paulatim profani alicujus finis mixtura inquinetur: possitque adeò de illo etiam, ità degenerante ab initiis suis dici: (*Jer. Th. c. 4.*) *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? (Is. c. 1.) Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua.* Ut ergo arceantur hæc vitia, & omnimodæ amoris integritati prospiciatur, præter diligentem regularum usum, quas & paulò antè dedimus, & suo infrà loco de hominis erga semet ipsum amore differentes subjiciemus; necessaria quoque est ingens cordis puritas, diutina tam interioris, quàm externæ mortificationis exercitatio, assidua, & pervigil nostri circumspectio, & demum frequens animi à cogitatione, & amore creatæ cujuslibet rei in DEI unius contemplationem, amorémque collectio.

9. At-



9. Atque hoc est alterum ex duobus iis monitis, quæ mihi, ut paulò antè dixi, tradenda supererant: nempe, ut non solum curemus, ab expresso DEI amore impelli ad amandum, & volendum, quidquid extra ipsum nos amare, & velle oportuerit; sed præterea, quantum possumus temporis, hoc est totum id tempus, quo necessitas, vel obedientia, vel justa quævis ratio creatas res propter DEUM curare, & velle non adigit; in eo uno contemplando, amandoque studeamus traducere: supra ipsum hunc orbem, & quidquid est creatum toto animo evecti, nostrimet, & cæterarum omnium rerum prorsus obliti, inque suavissima infinitæ illius magnitudinis, perfectionis, & pulchritudinis admiratione omnino defixi. Quod est illud, latitare *in abscondito faciei Domini à conturbatione hominum*, cuius meminit David, (Ps. 30) illud, *eligere cum Maria optimam partem*, præ sollicitis Marthæ ministeriis à Christo laudatū: & illud, seposita omni alia cogitatione, Deo uni vacare, ad quod ipsemet nos provocat, dicens: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* (Ps. 45.) Et ratio, cur abstrahere ità mentem expediat, in promptu est: quia rerum creatarum, etiam quæ utiles cæteroqui sunt,

&



& amari merentur, recordatio, à DEI longè utilissimi, amabilissimique omnium objecti, præsentia sæpe avocat, turbulenta in animo affectiones excitare consuevit, & facit plerumque, ut ignari, ac minimè sentientes naturali duntaxat profanoque amore eas diligamus. Quamobrem, extra id tempus, quo necessariis, vel honestis de causis curandæ sunt, consultius videtur segregare ab iis mentem, ut tota in DEO colligatur. Præterquam quòd à simplici, & absoluto illo amore, quo DEUM in se ipso diligimus, tota cæterorum erga res creatas amorum perfectio, & bonitas pendeat; cùm, quantò ille vehementior in anima est, tantò hanc validius ad cætera quævis objecta simili amore, hoc est puro, ac divino prosequenda incitet. Atqui simplex, & absolutus DEI amor, quamvis possit, quoties ad creatam rem aliquam diligendam nos movet, simul cum illius cogitatione, & amore in anima existere; major nihilo minus, flagrantiorque solet esse, si hæc in arcano quodam à cæteris quibusque objectis secessu, DEO uni contemplando, atque amando totam se impendit. Quapropter dubitari minimè potest, quin si homo consuecat sæpe animo egredi extra quidvis creatum, &

so-



totus cum DEO, quàm diutissimè potest, ver-  
 fari; quemadmodum penitiùs sese ibi intrà  
 ipsum demerget, ardentiorémque, & longi-  
 us in voluntate permansurum illius amorem  
 concipiet; sic cum deinde occasio se præbe-  
 bit, creatæ alicujus rei propter eum diligen-  
 dæ, puriùs, sanctiùsque id faciet: nullam  
 nempe harum diligens ex humanæ cupidita-  
 tis, sed ex puro divini amoris impulsu: &  
 quamdiu illam diligit, tam diu perget DE-  
 UM quoque formali, expressóque amoris a-  
 ctu diligere. Quod difficillimè assequere-  
 tur, si consuevisset, nunquam DEUM men-  
 te intueri, & amare, nisi unà cum rebus cre-  
 atis, hoc est, nisi cum aliquid in illius grati-  
 am volendum, agendúmque est.

10. Neque huic doctrinæ adversantur  
 duo illa, quæ suprà affirmavi: nimirum quòd  
 Angeli per assiduam nostri curam nihilo mi-  
 nùs idonei ad perfectè contemplandum, &  
 amandum DEUM fiant: quòdque vehemen-  
 tior interdum DEI amor sit, quo aliquid pro-  
 pter illum, quàm quo unum illum in sua ef-  
 fentia diligimus. Nam, ad primum quod  
 attinet, nimium quantum præsens nostra con-  
 ditio à cælesti differt Angelorum statu: qui  
 DEUM palàm intuentes, qualis in se ipso est,

ne-



nequeunt, esto alia quoque interim curent, non perpetuò, & tota vi sua illum amare. Et quamvis nos itèm, dum aliquid pro eo volumus, facimúsque, præsentem actu retinere illius memoriam, & amorem possimus; non tamen absque peculiari ejus privilegio possumus toto tempore, quo creatis objectis illius causâ mentem adhibemus, tam perfectè eum contemplari, & amare; quàm qui citra omnem sanctam cæteroqui, & necessariam avocationem ipsi uni tota mente, totòque animo vacat. Adde, quòd ii solummodo inter justas, Deoque acceptas rerum conditarum curas, aliquantò vividiorum sensum, ac præsentiam DEI retineant, qui magis firmum, stabilémque illius usum crebra, & diutina unius DEI meditatione acquisiverint: ut proinde eorum exemplo confirmetur potius, quàm labefactetur, quod propositum à me est, debere nos scilicet quàm creberrimè, & diutissimè liceat, totam in DEO uno mentem colligere, ut puriori studio possimus alia propter ipsum curare. Quantum verò ad alterum caput, assero iterum, majoris interdum perfectionis, ac meriti esse aliquid creatum pro DEO, quàm DEUM in se ipso diligere. Sed tamen id intelligo, & accipi volo,



lo, si quæ ex amoris divini impulsu volumus, molesta per se sint, atque invisa, adeò ut magno virtutis conatu ad ea amanda, & eligenda opus sit, veluti ærumnæ, probra, cruces, martyria; non autem de aliis etiam objectis, quæ per se ipsa ad amorẽ sui nos alliciunt, ceu corporis valetudo, rerum necessariarum copia, idque genus res aliæ, humano appetitui jucundæ. Imò addo, si de prioribus objectis suapte natura odiosis loquamur, non semper DEUM in illis perfectiùs, quàm in se uno à diversis præsertim personis amari. Cùm facilè possit contingere, ut vir quispiam eximiè sanctus intimiorem, enixiorẽque illius amorem concipiat, dum tota mente in arcanam incomprehensibilis ejus essentia, absolutæque pulchritudinis contemplationem absorptus, defixusque hæret; quàm amor sit, quem alia ordinariæ virtutis persona exercet, dum illius gratiã inimicos diligit, vel flagellis, aliisque ultro susceptis afflictationibus suum corpus castigat. Cùm itaque major actuum nostrorum præstantia ex majore in iis exercendis divini amoris vi oriatur; cùmque ad divinum amorem intendendum abstracta, & solitaria DEI contemplatio plurimùm juvet, optimum factu censue-

T

rim,



rim, ut quisquis huic se idoneum experitur, quàm diutissimè potest, in ea mentem detineat: nullam neque sui, neque alterius extra DEUM objecti cogitationem suscipiens, nisi eo tantùm tempore, quo sive obedientia, sive iusta erga proximos charitas, sive legitima alia ratio, hoc est, DEUS ipse, & significata ejus voluntas præscripserit. Quantò enim plùs de illo, minùsque de creatis rebus cogitaverit, tantò erit aptior, & ad ipsum sui unius causâ, & ad res cæteras, non tam sui ipsarum, quàm illius causâ, hoc est cum majori sanctitate, perfectione, ac merito amandas. Paucis: nemo res creatas amat meliùs, quàm qui magis propter DEUM, minùsque propter ipsas id facit: & nemo magis propter DEUM, minùsque propter ipsas id facit, quàm qui DEO unicè intentus, non nisi quando ille vult, ad cætera consideranda, & amanda se vertit. Audiatur D. Augustinus: *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatem charitatis. Sed nec sic omnimodo veritatis delectatio deserenda est, nè subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas.* (L. 19. de Civ. c. 19.)



ii. Minus tamen ad praxim conduceret, declaravisse, quoniam pacto amare propter DEUM res creatas oporteat, nisi explicaremus præterea, quænam ex illis amandæ, quæque non amandæ ab eo sint, qui perfectè amare DEUM studet. Hoc itaque exequi deinceps pergemus, ordientes ab iis, quarum amor minimè adversatur, imò affinis potius divino est, quâsque idcirco propter DEUM, & simul cum DEO amari opus est.

## CAPUT XII.

Amorem sanctissimæ Humanitatis, DEI paræ Virginis, & reliquorum Cælituum nullo pacto adversari perfectæ charitati erga DEUM: imò ex ea veriùs per necessariam derivationem profluere.



Mor cujusvis personæ, si vehemens, ac fervidus sit, nequaquam in ea tantum subsistit, sed ad cætera itèr omnia, quæ illi cognata sunt, atque amica, tanquam ad objectum secundarium se exporrigit. *Non solum probabile, (inquit Plato) sed penitus necessarium est,*